

Nec tamen obligatur anima Christi ad discurrendum, quia anima nostra ita est discursiva, quod etiam multa intelligit sine discursu, unde potest perfici ad hoc, ut utroque modo intelligat, et cum discursu, et sine illo, quando non extrahitur a modo operandi connaturali.

XXI. Ad secundum respondetur, quod species infusæ habent utramque eminentiam, et simplicis repræsentationis quidditivæ, et connexionis principiorum cum conclusione, et utroque modo potest illis uti intellectus cognoscendo res evidenter, et propter connexionem, et propter simplicem, et quidditivam inspectionem; sed ulterius noster intellectus, qui est discursivus, et potest conceptus dividere, et uti speciebus inadæquate, scilicet pro ea parte, qua repræsentant evidentiam connexionis solam, et tunc formaliter discurret, quia non æque evidenter repræsentantur objecta per utrumque conceptum, seu speciem sic inadæquate applicatam, sed unum objectum accipiatur ut illuminans, et aliud ut illuminatum ex vi talis connexionis, quod est repræsentari eo modo, quo requiritur ad discursum.

XXII. Ad tertium dicitur, quod proprius modus cognoscendi hujus scientiæ infusæ, quantum est ex genere scientiæ, est sine discursu, et per simplicem intuitum; ex parte autem scientis, seu subjecti permittit discursum etiam circa objecta hujus scientiæ, quæ scibilia sunt. Et est dispar ratio inter habitum scientiæ infusæ, et habitum primorum principiorum, quod prima principia etiam ex parte subjecti excludunt discursum, quia prima principia sunt illa unde oritur discursus; unde si ipsa possint per discursum cognosci, exigent alia principia, per quæ cognoscerentur, et sic esset processus in infinitum.

At vero scientia infusa, licet ex parte scientiæ non habeat discursum, quia nec per discursum acquiritur, tamen respectu objectorum, quæ per discursum sunt cognoscibilia, quia non tollit modum connaturalem subjecti, qui discursivus est, ideo permittit quod possint intelligi per discursum talia objecta, utendo inadæquate repræsentatione specierum, et dividendo conceptus. Neque hoc est solum uti discursu secundum successionem, sed etiam secundum causalitatem, quia facta tali inadæquate applicatione, potest ex vi connexionis necessariæ unum cognosci per aliud, et non solum in vi simplicis inspectionis unum cognosci post aliud.

ARTICULUS II.

Utrum species scientiæ infusæ sint universaliores, et perfectiores quam angelicæ?

I. Sententia S. Thomæ est in articulo quarto hujus quæstionis, quod scientia infusa animæ Christi est perfectior scientia Angelorum, et quantum ad extensionem, et quantum ad intensionem: quantum ad extensionem, quia plura objecta cognoscit; quantum ad intensionem, quia clarius. Cæterum quantum ad modum cognoscendi ex parte subjecti imperfectior est, quatenus uti poterat conversione ad phantasmata et discursu. In sexto autem articulo inquit S. Thomas, quod est connaturale animæ humanæ, ut recipiat species in minori universalitate, quam Angeli, ita solum quod diversas naturas specificas per diversas species intelligibiles cognoscat, et sic fuerunt infusæ animæ Christi.

II. Hinc ergo nascitur triplex difficultas. Prima, quomodo species in-

fusæ animæ Christi fuerint minus universales, quam species Angelorum: secunda, quomodo fuerint perfectiores in claritate, et certitudine: tertia, quomodo se habeant erga compositionem, et divisionem cum aliis speciebus ad cognoscendas plures veritates, et præsertim ad cognoscenda singularia.

DE PRIMA DIFFICULTATE.

III. Ad primam difficultatem respondetur, quod absolute loquendo, et indistincte, sive quoad species repræsentantes res supernaturales, sive repræsentantes res naturales tamquam immediata objecta, species infusæ animæ Christi sunt minus universales, quam species Angelorum. Quæ assertio est expressa S. Thomæ hic, ut citavimus, et Thomistarum communiter, licet contradicat pater Suarez hic disput. xxix, sect. I, et adducit pro se D. Thomam in III, distinct. xiv, artic. III, quæst. iv. Sed tamen D. Thomas in hac tertia parte aperte mutavit sententiam, cum ibi determinaverit scientiam infusam distinctam per diversos habitus, et ita habuisse species magis unitas, et universales quam quælibet creatura; hic autem ex opposito fundamento conclusit oppositum, scilicet, quod habuerit species minus universales, et ideo distincta fuit hæc scientia per plures habitus, ut patet in articulo sexto hujus quæstionis.

IV. Et fundamentum hujus sententiæ est, quia quotiescumque intellectus aliquis inferior illuminatur a superiori, non illuminatur per hoc, quod elevetur ad intelligendum ita unite, et universaliter sicut superior intellectus, sed potius veritates ipsæ particularizantur, et accommodantur intellectui inferiori, ut illas possit distincte percipere, ut constat

ex D. Thoma I part. quæst. cvi, articulo primo: ergo cum intellectus animæ Christi immediate illuminetur a Deo de omnibus veritatibus, quas intelligunt Angeli, et multo pluribus, non fiet illuminatio per hoc quod elevetur modus operandi animæ Christi supra omnem modum operandi Angelorum, sed quod omnes illæ veritates proportionentur modo operandi animæ Christi attingendo illas magis divise, et particulariter, quam Angeli.

V. Neque enim est ratio aliqua, cur dicamus alias illuminationes reformari per hoc, quod veritates illuminatæ dividantur, et accommodentur capacitati, et modo intelligendi inferiori, in ista vero non sic esse factum. Et regula generalis est, quod in omnibus illis, quæ certa fide non constant, illud sit verisimilius, quod magis conforme est naturis rerum; natura autem illuminationis hoc habet, quod descendat a superiori ad inferiora accommodando veritates illuminatas modo intelligendi inferiori, non vero modum intelligendi inferiorem elevando ad modum intelligendi superiorem, hoc enim minus connaturale est. Unde si possumus in scientia infusa salvare, quod elevetur anima Christi ad cognoscendum clarius, et perfectius, quam Angeli, et plura objecta, conservando modum connaturalem operandi ipsius animæ quantum possibile fuerit, conformior veritati erit assertio. Qua conformitate ductus D. Thomas sententiam, quam tenuerat in tertio sententiarum mutavit, eo quod in istis supernaturalibus ita debemus procedere, quod quantum possibile fuerit, minus mutetur ipse modus naturalis, eo quod gratia non destruit, sed perficit naturam.

VI. Nec obstat, quod illæ species ex genere suo non dantur modo discursivo, cum tamen modus discursivo

sivus sit connaturalis animæ humanæ; hoc, inquam, non obstat, quia ut præcedenti articulo diximus, anima rationalis non solum est discursiva, sed aliqua etiam intelligit sine discursu, et ita respectu diversorum objectorum poterit ei et convenire, et convenit uterque modus cognoscendi cum discursu, et sine illo, unde non est omnino contra naturalem modum animæ, quod in his in quibus propter debilitatem luminis discurrit, confirmato lumine non discurrat; id enim non est absolute contra modum operandi animæ, sed contra imperfectum modum operandi proveniente ex imperfectione luminis. Quod vero elevetur ad operandum ita unite, et universaliter sicut Angelus, est plane supra omnem modum cognoscendi animæ rationalis, excepta visione beatifica, in qua homo, et Angelus parificantur, quia uterque extrahitur a modo connaturali cognoscendi, et secundum potentiam obedientialem intelligit.

VII. Sed instat pater Suarez ubi supra: Nam multa in hac scientia ponenda sunt, quæ non sunt connaturalia humano modo cognoscendi, sed super illum; cur ergo hoc etiam non ponetur, scilicet, quod habeat species universaliores, et minus divisas quam Angeli. Antecedens probatur, nam ipsamet scientia supernaturam est, et extendit se ad objecta supra ipsam naturam angelicam, unde perfectiones omnes supernaturales excellentiori modo recipiuntur in anima Christi, quam in Angelis; ergo cum hæc scientia supernaturalis sit, perfectius tribuetur quam Angelis.

VIII. Item, quia Christus per hanc scientiam clarius intelligit quolibet Angelo, non solum res naturales, sed etiam ipsos Angelos, et res spirituales, quod tamen superat modum naturæ humanæ; ergo etiam

poterit superare in modo intelligendi unite, et universaliter plusquam Angeli.

IX. Denique, ipsæ species animæ Christi sunt in sua entitate perfectiores, quam quælibet species Angelorum, præsertim, quia ut præcedenti quæstione diximus sunt species supernaturales attingentes etiam res naturales altiori modo, quam species naturales Angeli; cur ergo non poterunt etiam esse perfectiores in hoc modo universalitatis?

X. Respondetur omnes istas perfectiones pertinere ad scientiam infusam ex parte objecti, et ex parte causæ influentis illam, in quo scientia ista superat scientiam Angelorum, ut S. Thomas docet in articulo quarto, non tamen pertinet ad scientiam infusam ex parte subjecti accipientis; quod enim taliter infundatur hæc scientia, quod etiam modum connaturalem operandi superet, aut destruat, non videtur conveniens connaturalitati infusionis; quod vero ex suo genere, et formali ratione superet scientiam Angelorum, omnino necessarium est.

XI. Unde ad primam instantiam dicimus, quod multa sunt ponenda in hac scientia, quæ non sunt connaturalia animæ humanæ, scilicet omnia illa, quæ pertinent ad naturam, et genus talis scientiæ, cum supernaturalis sit; non vero quæ pertinent ad modum receptionis in subjecto; si enim dona gratiæ, excepto lumine gloriæ, ita infunduntur subjecto, quod licet reddant actum in substantia supernaturalem, in modo tamen operandi se accommodant modo operandi subjecti, cur hic negabimus hoc isti scientiæ supernaturali? Quod vero perfectiones supernaturales altiori modo datæ sint Christo, id verum est de altiori modo: ex parte autem modi

recipiendi se in subjecto, non altiori modo recipiuntur, quam in Angelo.

XII. Ad secundam instantiam dicimus, quod perfectius comprehendit hæc scientia res naturales, et supernaturales, quam Angeli, quia totum hoc pertinet ad ipsam speciem luminis, et perfectionem substantialem ex parte objecti, et rationis formalis attingendi, non ad modum recipiendi ex parte subjecti; ex quo provenit quod magis, vel minus unite recipiantur species, quare totum hoc superat modum naturæ humanæ ex parte objecti attacti, et ex parte ipsius scientiæ, non ex parte subjecti recipientis, cujus modus connaturalis operandi non mutatur ex infusione hujus scientiæ.

XIII. Ad ultimam instantiam dicimus, quod illæ species infusæ Christi, sunt perfectiores speciebus Angelorum ex parte objecti representati, et modi representandi, quia supernaturales sunt, non tamen ex parte modi operandi subjecti, quod solum magis, vel minus unite, et universaliter cognoscat per illas.

DE SECUNDA DIFFICULTATE.

XIV. Ad secundam difficultatem, communiter theologi supponunt clariores, et certiores fuisse has species infusas animæ Christi, quam species Angelorum. Et sumitur ex D. Thoma hic articulo quarto: et quidem quoad objecta supernaturalia non est difficile explicare, quomodo fuerunt clariores, et perfectiores istæ species, quia lumen supernaturale infusum Christo intensius, et perfectius est, et species ipsæ representantes, plures rationes representant de mysteriis supernaturalibus, quam Angeli. Cum enim Angelis non sit debitum plene cognos-

cere res supernaturales, sed quantum Deus voluerit revelare, plenius revelat Christo, dando illi pleniorum representationem, et efficacius lumen ad penetrandum plus de illis objectis, et cognoscendas plures rationes, quam Angeli; quoad objecta autem naturalia, supposita sententia quam docuimus in præsentis quæstione, quod species infusæ sunt supernaturales, etiam respectu rerum naturalium, fere nulla restat difficultas, quia clarius, et perfectius representare possunt, eo quod sub puriori, et perfectiori ratione representant, quam species naturales Angelorum, unde et plures rationes distinctæ representant in objectis naturalibus, quæ Angelis manent confusæ, sicut est representare res contingentes sub futuri- tione, et representare omnes causas quantumcumque occultas et liberas, et ita representant cogitationes cordis.

XV. Si autem species illæ sint pure naturales, tunc vel dicendum est, quod redduntur clariores, quasi ab extrinseco, scilicet per revelationem divinam ei supervenientem, quod tamen valde difficile intelligitur, cum claritas speciei consistat in representatione, quæ illi intrinseca est, nec mutari possit, aut perfici per extrinsecam revelationem. Vel dicendum est, quod claritas, seu distinctio representandi non sumitur ex universaliori, et abstractiori ratione, qua magis unite tendit species in sua objecta, sed ex majori adæquatione, et conformitate cum re representata, unde sumitur major expressio. Potest autem fieri quod plures species, quantum quælibet representant suam perfectionem, aut prædicatum objecti vivacius, et efficacius representent totum, quod est in objecto, quam unica species, quæ procedit sub ratione abstractiori, et universaliori.